



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXXXI. Ioannis Papae VIII. Ad Eymdem. Gratias agit, quod cum a se fuerit Conspertus ecclesiae Vercellensis episcopus ordinatus, eius ordinationi libenter acquieuerit. se excusat, quod ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

EPISTOLA CCXXXI.  
**IOANNIS PAPÆ VIII.**  
 A D E V M D E M.

Gratias agit, quod cum a se fuerit Conspertus ecclesiæ  
 Vercellensis episcopus ordinatus, eius ordinationi li-  
 benter acquieuerit. se excusat, quod Anspertum archi-  
 episcopum Mediolanensem eius precibus non absoluat.

*Dilecto ac spirituali filio Carolo glorioso ac excellentissimo regi.*

**M**ULTIPLEX gratias vestræ referimus magnitudini,  
 quia pro Vercellensi episcopatu, in quo nos Con-  
 spertum vna cum Synodi decreto episcopum ordinaui-  
 mus, nostram libenter perfecisti voluntatem. De cetero  
 autem, hoc est Mediolanensi archiepiscopatu, o fili caris-  
 sime, sicut nobis nunc mandasti, ut Anspertum archiepi-  
 scopum, quem in Synodo pro nonnullis suis negligentiis  
 & præsumptionibus iudicauimus, reconciliare debere-  
 mus. Quod quidem nos pro vestro amore alaci mente  
 omnimodo perficeremus, si sententia damnationis, quam  
 in eundem archiepiscopum protulimus, sub tenore ali-  
 quo non fuisset prolata. Dictum est enim, tamdiu eum fo-  
 re ab honore & ministerio sacerdotali suspensum, donec,  
 auctore Deo, suam specialem nobis ad satisfaciendum ex-  
 hiberet præsentiam. Et quia ecclesiæ Dei priuilegium nos  
 decet immutatum solenniter conseruare, ne in aliquo  
 patrum terminos præterire videamus, contra statuta ma-  
 iorum agere nequiuimus. Vnde benignitatis vestræ excel-  
 lentiā paterno affectu monemus, ut ob hoc quod irre-  
 prehensibiliter agere non possumus, nullo modo turbemi-  
 ni: quoniam vestram in omnibus cupimus pro honore per-  
 ficere voluntatem. Data ut supra.